

(ut liber Pontificalis testatur) collecto Concilio Cleri, id egit, ut ille etiam defunctus damnaretur; ipseque eum publico scripto (quod & in archivo Ecclesiae tanquam ad aeternam rei memoriam collocavit) damnavit. Cæterum Clerus ei damnationi subscribere noluit, eo quod & multi cum Diòscoro senserant; & iniquum esse putabant, etiam in manes mortui sævire. Sed hinc istius sanctiss. Papæ levitatem spiritus, & dominandi cupiditatem deprehendere potes. Potes etiam ejusdem tum scientiam, tum probitatem, & ex eo perspicere, quod congregata Synodo in basilica Petri, & ante ejus supposititium cadaver, constituit, & jurejurando id decretum confirmavit, unà cum Clero, ut sibi liceat successorem eligere; elegitque Vigilium Diaconum. Sed paulo post idem Decretum de consensu totius Cleri damnavit, & coram toto Senatu ac Clero publicè exussit; Vigiliumq; ut renunciaret electioni, coegit. Sic isti Antichristi etiam propria jura ac juramenta sursum ac deorsum jactant, ac pro libitu jam rata jam irrita esse volunt, figunt atque refigunt; nec tamen testibus, eorum Gnathonibus, errare unquam possunt. Hic igitur sanctiss. (si Diis placet) Pater, extorsit Carthaginensi Metropolitanò, aliisque quibusdam Africanis Episcopis, consensum in suam monarchiam & damnationem Decreti sextæ Carthaginensis Synodi, de qua supra prolixius dictum est. Triste autem est, ut prius dixi; vel cogitare solum, quàm diris ac nefariis verbis isti duo nebulones, *Eulalius* & *Bonifacius*, illam sanctiss. Synodum, totque doctissimos ac pientissimos Patres damnent ac proscindant; tametsi eam nominare non ausint; nam Eulalius, Metropolitanus Carthaginensis, in sua Epistola ad Bonifaciũ dicit, *se damnare suos Antecessores & Successores, ac omnes planè, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ Privilegia tollere nituntur.* Item dicit, *se cum suis Collegis seu Coepiscopis, anathematizate omnes, qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superpiendo, suas erigunt cervices, & se sequi in omnibus Apostolicam sedem, ejusque prædicare decreta seu traditiones.* Dicit, *se eos pro excommunicatos habiturum, qui non consentiunt per omnia Apostolicæ sedi, id est, Papæ.* Obligat se etiam ac obstringit ad servandam istam impiam promissionem seu consensum, hisce verbis: *Quod si in aliquo à professione mea deviare tentavero, horum, quos damnavi, complicem mea sententia me esse profiteor.* Omnino fuit quædam abjuratio & execratio istis, quas jam scelerati pravitatis hæreticæ inquisitores miseris Christianis proponunt, non dissimilis; nisi quod, qui jam revocant, se potissimum execrantur, suamque fidem damnant, idque metu periculi; ille verò veritatis ac Ecclesiæ Dei proditor Eulalius, omnes & antecessores, & successores, & tot sanctiss. Patres, inter quos & Augustinum, jam in Domino dormientes, totamque illam sacrosanctam Carthaginensem Synodum, extra omne periculum existens, contra conscientiam damnavit, & impio ore anathematizavit. Cæterum ipse Papa, utpote choragus & author tanti sceleris, etiam impudentius in illam sacrosanctam Synodum debacchatur; nam in Epistola ad Eulalium, Alexandrinum Archiepiscopum seu Metropolitanum, in qua suum ipsi

tri-